III

hic specificantur magis que dicta sunt in communi

VI (VI)
Vi metris restans speciali celica dono
Virtus nobilitat res quas dei gratia ditat
Dicis ydeis fiunt medicis pharisei
Ex hoc contempte quia non sunt carius empte
Cum sua sit preciosa et plus accommoda curis
Actio morborum quam tota sit ars medicorum
Me fugat a medicis ab ede sue genitricis
Crista carens micis. et nox sine re meretricis
Versor in empyris et simplicibus sine tricis
Rebus mirificis quibus ipse deus benedicis
Hijs meus adiutor mihi sum meus et mihi tutor
Que colo que zelo medico sub iudice celo
Res mihi celestes astant per quas fugo pestes
Mille dabo testes probat hoc et fama superstes

hic describitur quid sit empiricum.

Dicitur empiricum cui virtus insita tritum
Se procul effundit nec se minus inde refundit
Subiecto proprio stupidus minus hoc ego fio
Dum vis conclusa qua turba diu fuit usa
Depellens cladem remanet forma sub eadem
Reddita subiecto fit in obliquos via recto
Sic declinando vim recti participando
Dum capit obliquus ideo non sicut iniquus
Rectus dampnatur nec in propria spoliatur
Sic et consueri solet idem pondera ferri
Ingentis masse magnus lapis attrahit ad se
Attracta massa dampnum non est ibi passa
Virtus magnetis. nec habet minus inde quietis

hic confirmat actor intentionem suam per magnetem

Hinc adiens tangas in frustraque plurima frangas
Ex hoc non magnes vim perdet ut aqua vel agnes
Alteritrum namque preclaram conspicuamque
Virtus celestis reddebat ut aurea vestis
Que sibi subtracta confusa flet utraque fracta.

hic innuitur quod virtus fit magis in contemptibilibus quam preciosis et famosis rebus:

~~[illegible]~~ Sic et aromatica superat virtute mirica
Dum cedro laurus cum cerro denique taurus
Cedunt hyssopi celestis culmine domi